346.10 10.

OFFICIVM
S. EMYGDII
EPISCOPI, ET MARTYRIS
Ciuitatis, Comitatus, & Diœc. Aſculanæ
PROTECTORIS.

A Clero vtriuſque ſexus eiuſdem Ciuitatis, Comitatus, & Diœc. die Natalitia quinta Auguſti, & die Translat. decima ſecunda Aprilis ſub ritu duplici recitandum.

Ad ſupplicationem Eminentiſſimi D. Cardinalis Gabrielli) Epiſcopi Aſculani, & Capituli Eccleſiæ Cathedralis eiuſdem Ciuitatis, à Sacr. Rit. Congreg. recognitum, & approbatum.



BIBLIOTECA NAZIONALE 1872

ROMÆ. Ex Typographia Reu. Cam. Apoſt. MDCLII.

Officium S. Mariæ ad Niues transfertur ad diem 23. Auguſti.

Feſtum Semiduplex SS. Cyriaci, Largi, & Smaragdi, ſi occurrerit in Dominica infra Octauam S. Emygdij, transfertur ad diem 26. Auguſti. Et ita ſemper erit obſeruandum.

Die quinta Auguſti.

IN FESTO S. EMYGDII EPISCOPI, ET MARTYRIS PATRONI

DVPLEX PRIMÆ CLASSIS.

AD VESPERAS

Omnia de Communi vnius Martyris, exceptis, quæ hìc propria ponuntur.

Hymnus ad Veſperas.

IESV Corona Martyrum.
Qui poſt cruenta prælia,
Ad ſempiterna præmia
Sanctum vocaſti EMYGDIVM.

Caſti cruoris purpura,
Palmaque ouantem nobili
Inter Choros Cœleſtium
Reples beato lumine.

Nunc eius ad victorias
Nos ſomnolentos excita,
Virtutis ad præconia
Sopore merſos libera.

V t inuocatus reddidit
Membris ſalutem languidis;
Sic labe prorſus criminum
Arcana purget mentium.
V t editis miraculis
Aras Deorum diruit;
Sic damna præſens arceat
Quæcumque nobis imminent.
V t voce quondam ſubſtulit
Cultus nefandos Dæmonum
Sic impetret precantibus
Aeterna Cœli gaudia.
T u poſtulaſtis annue,
Rex magne Iesv Martyrum;
Cum Patre, & Almo Spiritu
Regnas per omne ſæculum. Amen.

℣. Meritis, & precibus Beati Emygdii.
℟. Propitius eſto Domine Clero, & Populo tuo Aſculano.

Ad Magnificat Antiphona.

O Emygdi Martyr glorioſe, quos in Chriſto genuiſti filios, & veræ fidei lacte enutriſti, tua, quæſumus, Oratio, commendet nos indeſinenter Deo.

Oratio.

DEVS, qui Beatum EMYGDIVM Martyrem tuum, atque Pontificem Idolorum victoria, & miraculorum gloria decoraſti: Concede propitius, vt eo interueniente, malorum ſpirituum fraudes vincere, & coruſcare virtutibus mereamur. Per Dominum noſtrum &c.

Ad Matutinum Inuitatorium.

R egem Martyrum Dominum, Venite, Adoremus.

Hymnus.

AVdiat miras oriens, cadenſque
Sol tuas laudes, celebreſque palmas,
Præſul EMYGDI, columen, tuæque
Gloria gentis.

O Iubar Cœli radijs decorum,
O potens ſignis, meritiſque felix,
Quem Deus geſtis adhiberi ſueuit
Grandibus olim;

Ethnico primùm genitus parente
Illicò nomen ſuperis dediſti;
Mox feras gentes, numeroſa reddis
Agmina Chriſto;

Imperas ſaxo; latitans repente
Lympha conſurgit, fluitans ſalubri

Fonte baptiſmi, populoſque luſtras
Flumine ſacro
P ectoris duros ſilices repelle
Saxeum cordis tumidi rigorem
Contere, vt ſordes lacrymoſa manans
Abluat vnda.
N on times ſæui rabiem Tyranni,
Sanguine effuſo, generoſe Martyr,
Quin tibi abſciſſum caput vſque ad Aras
Mortuus effers.
N unc Triumphator ſuper Aſtra regnans
Semitam nobis, aditumque monſtra,
Supplices, Ductor, genitos ſupernis
Sedibus infer.
A nnuat Cœlo Pater, atque Natus,
Annuat Compar, vtriuſque Virtus
Spiritus votis Deus vnus omni
Temporis Aeuo. Amen.

Añæ: Pſalm. ℣. & ℟. Noct. de Communi vnius Martyris.

IN I. NOCTVRNO

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTVRNO

Lectio iv.

EMYGDIVS è nobili Francorum proſapia Treueris natus Anno ętatis vigeſimo tertio

tertio parentibus idolatris fruſtrà obſtantibus, fidem Chriſti ſuſcepit, & conſtantiſſimè profeſſus eſt: cum tribus diſcipulis Euplo, Germano, & Valentino vitam duxit, humanis ſpretis oblectamentis, rebus diuinis pleniùs incumbebat: erga proximum charitatis ardore extuabat; idcirco ad procurandam multorum ſalutem Romam ſe contulit. Hoſpitio exceptus in Inſula Tyberis Hoſpitis filiam per quinquennium iam immedicabili morbo languentem Baptiſmo ſanauit. Tu autem Domine.

℟. Honeſtum fecit illum Dominus, & cuſtodiuit eum ab inimicis, & à ſeductoribus tutauit illum: * Et dedit illi claritatem æternam.

℣. Deſcenditque cum illo in foueam: & in vinculis non dereliquit eum. Et dedit.

Lectio v.

MOx oculis cœci coram populo, ſigno Crucis apertis, à multitudine, eum Apollinis filium credente, in Templum Aeſculapij rapitur. ibi Chriſti ſeruum ſe profeſſus, eius inuocatione magnum numerũ egrorum, ne quidquam Idoli opem implorantium valetudini reſtituit, Aras diruit, Aeſculapij ſignum confractum in Tyberim proiecit; Quibus rebus, & mille trecentorum Gentilium, præter

Aeſculapij Sacerdotes, conuerſione inde ſequuta irritati Poſthumij Titiani Præfecti Vrbis minas Angeli monitu declinans, Sanctum Marcellum Pontificem adijt, à quo Epiſcopus ordinatus, & Aſculum miſſus eſt. Tu autem Domine. ℞. Deſiderium animæ eius tribuiſti ei Domine, * Et voluntate labiorum eius non fraudaſti eum. ℣. Quoniam præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis: poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo. Et.

Lectio vi.

MVltis in itinere miraculis ingenti multitudine Chriſto adiuncta ſimul Aſculum Emygdivs peruenit; Dæmones è ſimulacris Idolorum per cuncta fana eiulatibus editis, peregrinum doloris ſui cauſam indicarunt, quem cum concitata plebs ad cædem quæreret, excitus tumultu Polimnius Ciuitatis Præſes eum ad ſe vocatum multis, ſed irritis verbis ad Iouis, & Angariæ Deæ Aſculi Patronæ venerationem hortatur; promiſſis etiam in præmium nuptijs propriæ filiæ Poliſiæ: quam Emygdivs ad Chriſtum conuerſam baptizauit, & poſt eam mille & ſexaginta homines, educta è ſaxo per ingens miraculum aquarum copia, His in rabiem actus Polimnius ſancto Epiſcopo

po caput abſcidit, quo facto, truncus eius mirabiliter erectus abiectum humo proprium caput tollens manibus per ſpatium trecentorum paſſuum ad Oratorium portauit. Vnde ad Templum Maximum tranſlatus, vbi magna Religione Aſculani populi, & concurſu externorum hunc vſque in diem colitur. Incidit eius beata paſſio perſecutione Diocletiani durante. Tu autem Domine.

℟. Stola iucunditatis induit eum Dominus: * Et coronam pulchritudinis poſuit ſuper caput eius. ℣. Cibauit illum Dominus pane vitæ & intellectus: & aqua ſapientiæ ſalutari potauit illum. Et coronam. Gloria Patri. Et coronam.

IN III. NOCTVRNO.

Homil. in Euangel.

Si quis venit ad me. De Communi vnius Martyris.

Ad Laudes:

Omnia de Communi vnius Martyris præter ea, quæ ſequuntur.

Hymnus.

Ieſu Corona Martyrum. Vt ſup. ad Veſp.

℣. Ora pro nobis ſancte Pater EMYGDI.

℟. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Ad Benedictus Antiphona.

Virum ineffabilem, per quem nobis antiqua prodigia Moyſis coruſcant, cuius nutibus è ſaxo aqua Baptiſmatis Aſculano Populo emanauit, per quem Euangelica lux effulſit, quem triumphans excepit Curia cœleſtis, illic pro nobis intercedere dignetur, vt ſuo mereamur gaudere conſortio.

Oratio.

DEVS, qui Beatum EMYGDIVM Martyrem tuum, atque Pontificem Idolorum victoria, & miraculorum gloria decoraſti: Concede propitius, vt eo interueniente, malorum ſpirituum fraudes vincere, & coruſcare virtutibus mereamur. Per Dominum noſtrum, &c.

Ad Miſſam.

De Communi vnius Martyris. Statuit ei Dominus Teſtamentum pacis.

Oratio propria, vt ſupra.

Ad Horas.

Omnia de Communi præter Orationem propriam.

Ad ſecundas Veſperas.

Omnia prout in primis, cum Commemoratione Transfigurationis Domini.

PER

Hymn. ℣. Añæ, & Orat. prout in die Feſto.

Die vj. Auguſti.

In Feſto Transfigurationis Domini Duplex cum Comm. Oct. S. Emygdij.

Die vij. Auguſti.

TERTIA DIE,

infra Oct. S. Emygdij.

Lect. primi Nocturni de Scriptura occurrente. In ſecundo Nocturno.

Sermo S. Auguſtini Epiſcopi.

De ſancto Cypriano. Lectio iv.

SErmonem exigit tam grata, & religioſa ſolemnitas: qua paſſionem beati martyris Emygdij celebramus. Triſtis proculdubio tunc Eccleſia fuit, non damno cadentis, ſed deſiderio recedentis: ſemper cupiens videre præſentem diem tam bonum rectorem, atque doctorem. Sed quos afflixerat ſolicitudo certaminis, conſolata eſt corona victoris. Et nunc non ſolùm ſine vlla triſtitia, verùm etiam cum ingenti lætitia cuncta, quæ tunc geſta ſunt, legendo recolimus: dieq; iſto gaudere nobis cõceſſum eſt, non timere. Neque enim formidamus terribiliter venientem, ſed expectamus hilariter redeũtem. Tu autem Dñe. ℟. Honeſtum, vt ſup.

Lectio v.

Lectio v.

VIcina corporis morte non moriebatur, in animo paſtoris vigilantia paſtoralis: & cura tuendi Dominici gregis vſque ad extremum vitæ huius diem mente ſobria tenebatur. Neq; excutiebat ab animo diligentiam fideliſſimi diſpenſatoris manus iam proxima cruenti carnificis. Ita ſe martyrem cogitabat futurum, vt eſſe non obliuiſceretur Epiſcopum: magis curans, quam rationem Paſtorum Principi de commiſſis ſibi ouibus redderet, quàm quid infideli de fide propria reſponderet. Amabat quippe eum, qui Petro dixerat, Amas me? Paſce oues meas. Et paſcebat oues eius, pro quibus ſanguinem fundere illũ imitans præparabat. Tu autem Dñe. ℟. Deſiderium, vt ſup.

Lect. vi.

PRæceſſerunt eum multi Martyres, quos flagrantiſſimi exhortationibus ſuis ad vincendum diabolum accenderat: & erat vtique iuſtum, vt quos veridicus loquendo præmiſerat, patiendo intrepidus ſequeretur. Quid ad hæc dicamus; quid ad hæc exultemus tanta conceptione gaudiorum? in quid erumpat cor noſtrum, & os noſtrum? Habentes memoriam præſentis loci, feſtiuitatem ſolemniſſimi diei propoſitionem ſaluberrimi exempli, omnibus

me-

medullis noſtris dicamus: Deo gratias. Tu autem Dñe. ℟. Stolam iucunditatis.

In tertio Nocturno.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Lucam.

Lectio vij.

IN illo tempore: Dixit Ieſus turbis: Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſse diſcipulus. Et reliqua.

De Homilia S. Gregorij Papæ.

SCimus autem quia, cùm de terra Philiſthijm arca Domini ad terram Iſraelitarũ rediret, plauſtro ſuperimpoſita eſt, & vaccæ plauſtro ſubiunctæ ſunt, quæ ſetæ fuiſse memorantur, quarum filios clauſerunt domi. Et ſcriptum eſt: Ibant autem in directum vaccæ per viam, quæ ducit Bethſamis, vno itinere gradiebantur, pergentes, & mugientes, & non declinabant neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Quid ergo vaccæ, niſi fideles quoſque in Eccleſia deſignant? qui dum ſacri eloquij præcepta cõſiderant, quaſi ſuperimpoſitam ſibi Domini arcã portant. Tu autem Dñe. ℟. Corona aurea ſuper caput eius.* Expreſsa ſigno ſanctitatis, gloria honoris, & opus fortitudinis.

℣. Quo-

℣. Quoniam præueniſti eũ in benedictionibus dulcedinis, poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo. Expreſsa ſigno. Lectio viij.

DE quibus hoc etiam eſt notandum, quòd fuiſse fetæ memorantur: quia ſunt plerique, qui in via Dei intrinſecus poſiti, foris carnalibus affectibus ligantur; ſed non declinant à recto, itinere, qui arcam Dei portant in mente. Ecce enim vaccæ Bethſamis pergunt. Bethſamis quippe dicitur domus ſolis, & propheta ait: Vobis autem, qui timetis Dominũ, orietur Sol iuſtitiæ. Si ergo ad æterni Solis habitationem tendimus, dignum profectò eſt, vt de Dei itinere pro carnalibus affectibus non declinemus. Tota enim virtute penſandum eſt, quòd vaccæ Dei plauſtro ſuppoſitæ pergunt, & gemunt. Dant ab intimis mugitus, & tamen ab itinere nõ deflectunt greſsus. Sic nimirum prædicatores Dei, ſic fideles quique eſse intra ſanctam Eccleſiam debent, vt compatiantur proximis per caritatem, & tamen de via Dei nõ exorbitent per compaſſionem. Tu autem Dñe.

℟. Hic eſt verè martyr, qui pro Chriſti nominem ſuum fudit. * Qui minas iudicium nõ timuit, nec terrenæ dignitatis gloriam quæſiuit, ſed ad cæleſtia regna peruenit. ℣. Iuſtum deduxit

duxit

duxit Dominus per vias rectas; & oſtendit illi regnum Dei. Qui. Gloria. Qui.

Lectio IX.

HOc ipſum verò animæ odium qualiter exhiberi debeat, veritas ſubdendo manifeſtat, dicens: Qui non baiulat Crucem ſuam, &c. Crux quippe à cruciatu dicitur. Et duobus modis Crucem Domini baiulamus, cùm aut per abſtinentiam carnem afficimus, aut per compaſſionem proximi neceſſitatem illius noſtram putamus. Qui enim dolorem exhibet in aliena neceſſitate, crucem portat in mente. Sciendum verò eſt, quòd ſunt nonnulli, qui carnis abſtinentiam non pro Deo, ſed pro inani gloria exhibent. Et ſunt plerique, qui compaſſionem proximo non ſpiritaliter, ſed carnaliter impendunt; vt ei non ad virtutem, ſed quaſi miſerendo ad culpas faueant. Hi itaque crucem quidem videntur ferre, ſed Dominum non ſequuntur. Vnde rectè hæc eadem Veritas dicit: Qui non baiulat crucem ſuam, & venit poſt me, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Tu autem Dñe. Te Deum.

Nonæ Lectioni additur Lectio S. Donati, cum comm. eiuſdem S. Donati ad Laudes.

Die viij. Auguſti.

De Sanctis Cyriaco, Largo, & Smaragdo ſemiduplex, de Communi plurimum Martyrum cum commem. Octauæ S. Emygdij.

Die ix. Auguſti.

Q V I N T A D I E.

Infra Octauam S. Emygdij.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurr.

In ſecundo Nocturno.

Sermo Sancti Auguſtini Epiſcopi.

De verb. Dom. 50. Lectio iv.

PAſtor bonus Chriſtus. Quid Petrus? Nonnè bonus paſtor? Nonnè & ipſe animam ſuam pro ouibus poſuit? Quid Paulus? Quid ceteri Apoſtoli? Quid eorum tempora conſequentes beati Epiſcopi Martyres? Quid etiam iſte Sanctus EMYGDIVS? Nonnè omnes paſtores boni, non mercenarij, de quibus dicitur, Amen dico vobis, perceperũt mercedem ſuam? Omnes ergo illi paſtores boni, non ſolum quia ſanguinem fuderunt, ſed quia pro ouibus fuderunt. Non enim fuderunt elatione, ſed caritate. Tu autem Dñe. ℞. Honeſtum, vt ſup.

Lectio v.

NAm & apud hæreticos, qui propter iniquitates, & errores ſuos aliquid moleſtia-

ſtiarum perpeſſi fuerunt, nomine martyrij ſe iactant: vt hoc pallio dealbati facilius furentur, quia lupi ſunt. Si autem vultis ſcire, in quo numero habendi ſunt paſtorem bonum Paulum Apoſtolum audite: Quoniam non omnes, qui corpora ſua in paſſione etiam ignibus tradunt, æſtimandi ſunt ſanguinem fudiſſe pro ouibus, ſed potius contra oues. Si diſtribuero, inquit, omnia mea pauperibus, & tradidero corpus meum, vt ardeam: Iam ipſi ſunt. Sed vide, quid ſequitur: Caritatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt. Ecce venìtur ad paſſionem, ecce venìtur & ad ſanguinis effuſionem, venìtur ad corporum incenſionem: & tamen nihil prodeſt, quia caritas deeſt. Adde caritatem, proſunt omnia: detrahe caritatem, nihil proſunt cetera. Tu autem Domine.

℟. Deſiderium. vt ſup.

Lectio vj.

QVale bonum eſt caritas iſta, fratres? Quid pretioſius? quid luminoſius? quid firmius? quid vtilius? quid ſecurius? Quomodo autem habet vel exiguam caritatem, qui etiam conuictus non amat vnitatem? Hanc Dominus vnitatem commendans, paſtoribus bonis, commendans paſtores bonos, noluit multos

appellare paſtores. Neque enim vt dixi iam non erat paſtor bonus Petrus, Paulus, Apoſtoli ceteri, & poſteriores ſancti Epiſcopi, beatúſque Emygdius? Omnes hi paſtores boni: & tamen ille paſtoribus bonis non commendauit paſtores bonos, ſed paſtorem bonum. Ego ſum, inquit, paſtor bonus. Tu autem Dñe. ℟. Stola, vt ſup.

In tertio Nocturno.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Lucam.

Lectio vij.

IN illo tempore: Dixit Ieſus turbis: Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem, & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Et reliqua.

De Homilia S. Gregorij Papæ.

RElinquat ergo omnia qui poteſt. Qui autem relinquere omnia non poteſt, cùm adhuc longè eſt Rex, legationem mittat lacrymarum, eleemoſynarum, hoſtiarum munera offerat. Vult enim placari precibus qui ſcit, quia portari non poſſis iratus? Quòd adhuc moram facit venire, legationem pacis ſuſtinet. Veniſſet iam iamque ſi vellet, cunctos aduerſarios ſuos trucidaſſet. Tu autem Dñe. ℟. Corona. vt ſup.

Le-

Lectio viij.

SEd & quam terribilis veniet, & indicat, & tamen ad veniendum tardat: quia non vult inuenire, quos puniat, ſed reatum nobis contemptus noſtri denunciat, dicens: Sic ergo omnis ex vobis qui non renunciat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Et tamen ſperandæ ſalutis remedium confert: quia qui per iram non poteſt ferri, per poſtulatæ pacis vult legationem placari. Tu autem Dñe. ℞. Hic eſt. vt ſup.

Lectio ix.

LAuate ergo, fratres cariſſimi, lacrymis maculas peccatorum, eleemoſynis tergite, ſacris hoſtijs expiate. Nolite poſſidere per deſiderium, quæ adhuc per vſum minimè reliquiſtis. Spem in ſolo Redemptore figite, ad æternam patriam mente tranſite. Si enim nil iam in hoc mundo amando poſſidetis, etiam poſſidendo cuncta reliquiſtis. Ipſe nobis gaudia deſiderata concedat, qui nobis æternæ pacis remedia contulit, Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui viuit & regnat cum Patre, in vnitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen. Tu autem Dñe. Te Deum.

Nona Lectio de Vigilia S. Laurentij Martyris.
Ad Laudes Commemor. Vig. & S. Romani.

Die x. Auguſti.

De S. Laurentio Duplex cum comm. Octauæ S. Emygdij.

Die xj. Auguſti.

SEPTIMA DIE.

Infra Octauam S. Emygdij.

Lect. primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In ſecundo Nocturno.

De Sermone S. Maximi Epiſcopi.

Lectio iv.

HIc eſt ille Euangelicus pater familias, proferens de theſauro ſuo noua, & verera, qui veteris nouiq; teſtamenti vnũ, atque idipſum myſterium prædicans, Eccleſias Chriſti locupletiſſima diſputatione ditauit. Incorruptibilis, atque indefeſſus illius eſt hodie theſaurus, qui pecuniam Domini ſui numularij fœnerans, quotidie in corde fidelium cœleſtium diuitiarum ſanctam conquiritur vſuram. Tu autem Dñe. ℟. Honeſtum. vt ſup. Lectio v.

QVid igitur, fratres, tanto ſpecioſius viro, cuius hæc eſt regula, & menſura ſermonis, vt inter varias hominum cauſas motuſque diuerſos, nunc affectione patris,

nunc

auctoritate doctoris conſoletur humiles, ſuperbos comprimat, negligentes arguat, increpet infideles? Tantoque denique decore ſacerdotium, vitamque ſuam vir fideliſſimus adornauit, vt doctrinam ſuam ſubſequentibus confirmaret operibus, dominicam illam ſententiã tenens; Qui docuerit & fecerit: hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Tu autem Domine. ℟. Deſiderium. vt ſup.

Lectio vj.

QVàm magnus hic, quàmque præcipuus in regno cœlorum eſt, quem in omnem gloriam ſermo propheticus, vita mirabilis, & mors Deo deuota ſublimat? Nec immeritò, fratres tanto cum honore nominis eius memoria, per ampliſſima mundi ſpatia celebratur? quia per vniuerſum orbem ad firmamentum fidei noſtræ, & paſſio eius, & doctrina profecit. Tu autem Domine:

℟. Stola. vt ſup.

In tertio Nocturno.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Lucam.

Lectio vij.

IN illo tempore: Dixit Ieſus turbis: Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & ſorores,

rores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Et reliqua.

Homilia S. Ambroſij Epiſcopi.

In Pſal. 118. octon. 15.

SI quis otioſis hoc accipiat auribus fortaſſe dicat: Tu Dñe Ieſu legem dediſti, dicens: Dilige Dñm Deum tuũ; dilige proximum tuũ; &, vt impleres hanc legẽ veniſti. Dixiſti per legẽ: Honora patrem, & matrem: & in Euãgelio iubes, vt parentes oderim? quomodò ſibi conueniunt iſta præcepta? ſic mitis, & humilis corde veniſti? Non poſſum ſaluo pietatis iure odiſſe patrem, cui debeo, quòd creatus ſum; nec matrem longo decem menſium faſtidio pij fœtus onera portantem, cui in abſolutione plus periculi, in delatione plus tedij eſt: quid dulciſſimi merentur filij, vt paterno excludantur amore, cùm ſit impium mori nolle pro liberis? quid vxor chariſſima, quædam vitæ coheres, & conſortium communis naturæ? Tu autem Domine. ℟. Corona. vt ſup.

Lectio viij.

ODerim ergo pignora caritatis? ita Euangelij lenitate rigorem prædurae legis Iudæis inflectis; vt quorum lex condemnat iniurias, eorum tu in Euangelio tuo condemnes

gra-

gratiam ? Video iſtiuſmodi aſſertioni me reſpondere non poſſe: ſed tu Domine reſponde. Reſpondebit igitur: Egone condemno pietatem, qui odi iniquitatem? Ego parentes præcipio non amandos, qui inimicos ſuadeo diligēdos? ſed non legiſti: Tempus amandi,& tēpus belli, & tempus pacis? De quo hoc dices Eccleſiaſtes? nonnè de eo, quòd ratione temporis fiat, vt piè & amare & odiſſe poſſimus: vt quos dilexeris, odiſſe; & quos oderis, amare conueniat? tempus igitur amandi, tempus odio habendi: hoc eſt tempus martyrij, quando ea, quæ diuina ſunt, omni caritati neceſſitudinem præferenda ſunt. Tempus belli, quo etiam bellum pro Chriſti nomine perfidis pignoribus inferamus. Tempus pacis, quia in pace locus eius. Tu autem Domine. ℞. Hic eſt. vt ſup.

Lectio ix.

DEnique ipſe in Euangelio euidenter expoſuit, qua ratione noſtros debeamus odiſſe, dicens: Qui diligit patrem, aut matrem plus quam me, non eſt me dignus: non dixit indignos eſſe, qui parētes ſuos diligunt; ſed eos indignos ait, qui plus parentes, quàm Chriſtum diligunt. Si enim ideò deferimus parentibus; quia noſtræ generationis auctores ſunt; quantò

magis Chriſtum oportet amare, qui ipſorum eſt auctor parentum? iſti dederunt, quod non poteſtatis eſt, ſed miniſterij ſui; Chriſtus donat ſalutem, qui parentum beneficia conſeruat. Tu autem Domine.

Te Deum laudamus.

Nonæ Lectioni additur Lectio SS. Tiburtij, & Suſannæ. Ad Laudes commem. Oct. S. Laurentij, & SS. Tiburtij, & Suſannæ.

Die xij. Auguſti.

OCTAVA S. EMYGDII DVPLEX

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occur.

In ſecundo Nocturno.

Sermo S. Ioannis Chryſoſtomi.

De S. Ignatio tom. 5. Lectio iv.

TEmpus animaduertite fratres, quo dignitatem Epiſcopalem Beatus Emygdius eſt aſſecutus: neque enim eſt eadem nunc, quæ tunc erat, Eccleſiam gubernandi conditio: non æqualis labor viam tritam, & planè paratam poſt multos ingredi viatores, atque eam, quæ nunc primò ſecanda eſt, quæque prærupta, & ſaxoſa eſt, feriſque plena, nec vllum adhuc viatorem admiſit. Tunc autem, quocumque quis oculos verteret, vbique præcipitia, barathra, & bella, & pugnæ, & pericula: Imperatores, &

Reges,

Reges, & populi, & ciuitates, & gentes, & domeſtici, & alieni, credentibus inſidias tendebant. Tu autem Domine.

℞. Honeſtum. vt ſup.

Lectio v.

QVemadmodum igitur gubernatorem admiramur, non quòd vectores poſſit in portum incolumes ducere, cùm mare tranquillum eſt, cùmque nauis fertur ventis ſecundis: ſed cùm inſaniente pelago, ventiſque ſæuiētibus, qui in naui ſunt inter ſe diſſentiunt, magna tempeſtate intus, & foris nauigantes exagitante, nauim tamen poteſt dirigere, & cōſeruare: ſic eos, qui tunc Eccleſiam regebant, multò magis, quam illos, qui eam in præſentia gubernant, ſuſcipere debemus, & admirari, quando multa bella intus, & foris; quando fidei planta imbecillior erat adhuc, & diligentia magis indigebat; quando veluti modò genitus infans Eccleſiæ populus, magnam prouidentiam, atque ſapientiam animæ, à qua nutriendus eſſet, poſtulabat. Tu autem Domine.

℞. Deſiderium, vt ſup.

Lectio vi.

VErùm ne totum tempus in Epiſcopatus conſideratione collocantes ab ijs, quæ

ad eum, vt martytem ſpectant enarrandis excludamur, age ad illius certamina contendamus. Verſutus enim diabolus, & ad ſtruendas aptus inſidias exiſtimabat, ſi paſtores ſuſtuliſſet, ouilia ſe facilè directurum. Sed qui comprehendit aſtutos in eorum aſtutia, oſtendens Eccleſias ſuas non ab hominibus gubernari, ſed eos, qui in ipſum credunt ſemper à ſe regi, id fieri permittebat, vt, cùm cerneret, rectoribus ſublatis, non tamen religionem deleri; nec veritatis prædicationem extingui, ſed potius augeri: ex rebus ipſis & ipſe, & qui ei inſeruiebant, omnes intelligerent, Chriſtianorum diſciplinam, non ab hominibus pendere, ſed in cœlis radices agere; Deumque eſſe qui vbique Eccleſias tueretur. Tu autem Domine.

℟. Stola. vt ſup.

In tertio Nocturno.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Lucam.

Lectio vij.

IN illo tempore: Dixit Ieſus turbis: Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Et reliqua.

Ho-

Homilia S. Auguſtini Epiſcopi.

Ex Epiſt. 38.

SVmptus ad turrim ædificandam, & bellantium valentia decem millium aduerſus regem, qui viginti habet, nihil eſt aliud, quàm vt renuntiet vnuſquiſque omnibus, quæ ſunt eius. Prælocutio autem ſuperior cum extremà concluſione concordat: in eo enim, quòd vnuſquiſque renuntiat omnibus, quæ ſunt eius, etiam illud continetur, vt oderit patrem ſuum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc & animam ſuam; omnia enim hæc propria eius ſunt, quæ plerumque implicant, & impediunt ad obtinenda, non iſta propria temporaliter tranſitura, ſed in æternum manſura communia. Tu autem Domine.

℞. Corona. vt ſup.

Lectio viij.

NE ſuccenſeant parentes, hoc præcipere Dominum, vt eos oderimus, quando nobis hoc de anima noſtra præcipitur. Sicut autem hoc præceptum, quo perdere iubemur animam noſtram, non ad id, valet, vt ſe quiſque interimat, quod inexpiabile nefas eſt: & tamen valet, vt interimat in ſe carnalem animæ affectum, quo cum impedimento futuræ

vitæ

vitæ præſens vita delectat: ita de parentibus rectiſſimè dicitur, vt qui eos amat, perdat eos, non more parricidarum iuterficians, ſed ſpiritali gladio verbo Dei carnalem affectum eorū, quo, & ſeipſos, & eos, quos genuerunt, irritamentis huius ſæculi obligare conantur, piè, fidenterque percutiens & occidens, illud in eis viuere faciat quo cum filijs ſuis temporalibus, parentes æterno Deum, Eccleſiamque cognoſcunt. Tu autem Domine.

℟. Hic eſt. vt ſup.

Lectio ix.

TOlle crucem tuam,& ſequere Dominum: crux enim noſtra, quam Dominus portari à nobis iubet, vt eum expeditiſſimi ſequamur, quid aliud, quàm mortalitatē carnis huius ſignificat? Ipſa enim nos cruciat, donec abſorbeatur mors in victoriam. Crux ergo hæc ipſa crucifigenda eſt, & transfigenda eſt clauis timoris Dei, ne ſolutis & liberis membris reluctantem portare non poſſis: ſequi enim Dominum, niſi eam portans, omninò non vales; nam quomodo eum ſequeris, ſi non es eius? qui autem Ieſu Chriſti ſunt, ait Apoſtolus, carnem ſuam crucifixerunt cum paſſionibus & deſiderijs. Tu autem Dn̄e. Te Deum.

Nonæ

Nonæ Lectioni additur Lectio Sanctæ Claræ. Ad Laudes Commem. Octauæ S. Laurentij, & Sanctæ Claræ.

IN DIE FESTIVITATIS TRANSLATIONIS

quæ erit xij. Aprilis, & non habet Octauam. Fit Officium Duplex, & dicuntur omnia de communi vnius Martyris, tempore Paſchali, vel extra ſi occurrat. præter Hymn. Lectiones, Antiph. ℣. & Orat. propr. vt ſupra.

Commemorationes per Annum.

Ad Laudes Antiph. O virum ineffabilem.

℣. Ora pro nobis &c.

Ad Veſperas Antiph. O Emigdi.

℣. Meritis, & precibus &c.

Oratio prop. vt ſupra.

ORationem, & Lectiones prædictas in officio Sancti Emygdij Epiſcopi & Mactyris ab vtriuſque ſexus Chriſtifidelibus tum Sæcularibus, tum Regularibus Ciuitatis, totius Comitatus, & Diœceſis Aſculi, necnon Oppidi Nereti, die Martyrij, & Translationis eiuſdem Sancti recitandas, Sacrorum Rituum Congregatio, ad preces Eminentiſſimi D. Cardinalis Gabriellij Epiſcopi Aſculani, & Capituli Eccleſiæ Cathedralis eiuſdem Ciuitatis, approbauit, ac imprimi poſſe conceſſit. Die 2. Auguſti 1659.

I. Epiſc. Sabin. Card. Sacchettus.

Loco ✠ ſigilli.

Franciſcus Maria Phœbeus Sac. Rit. Congr. Secr.

99 o 55765